



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus
voluntate et providentia]

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

Art. II. An in visione beata detur, vel possit dari verbum creatum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

ARTICULUS II.

*An in visione beata datur, vel possit dari
verbum creatum?*

36 **I**n hujus difficultatis resolutione tres reperio
Auctorum sententias. Prima asserit de facto
dari in visione beatifica verbum creatum, pro-
ductum à beato: non tamen negat posse Deum
gerere vices verbi, & uniri cum intellectu beati
per modum termini ultimi intellectionis. Pro
hac sententia citantur Capreolus, Ferrarjensis,
Sylvester, Torres, & alii, quos refert & sequit-
ur Ildaphonius Michael Zamorensis, tomo 1. in
1. partem quest. 12. art. 2. dubio 3. Secunda do-
cet in visione beata nec dari de facto verbum
creatum, nec dari posse; sed Deum gerere vices
verbi, & uniri cum intellectu beati. Ita Salman-
ricenses, Joannes à S. Thoma, Sanchez, Gonzales
& alii. Tertia sententia media est Suarez, & alio-
rum asserentium nec divinities posse fieri quòd
Deus suppleat vices verbi. Hanc fusè impugnat
Gonzales disp. 2. sect. 4.

§. I.

*Verior & probabilior sententia duplici
conclusionè stabilitur.*

37 **D**ico primò: Beati per visionem beatificam
nullum formant verbum, seu speciem ex-
pressam, Deum sicuti est in se representantem:
Ita colligitur ex D. Thoma hic art. 2. & aliis lo-
cis supra citatis, ubi negat omnem similitudi-
nem, seu representationem divinam essentia crea-
tam, tenentem se ex parte objecti, & gerentem
vices illius, solumque admittit similitudinem ex
parte potentia, quam vocat lumen gloriæ.

Eadem veritas innumerari videtur à Propheta
Psalmo 74. ubi enim communis versio legit, *Te
deet hymnus Deus in Sion*, Chaldaica habet, *Tibi si-
lentium Deus in Sion*; quia licet beati in cœlesti il-
la patria Deum continuo contemplantur & lau-
dent, in visione tamen beatifica nullum produ-
cunt verbum, seu speciem expressam, sed ipsa
essentia divina per seipsam immediate gerit vi-
ces verbi, & speciei expressæ. Hoc autem silen-
tium, seu carentia verbi creati in beatis, oritur
præcipue ex ejus inutilitate. Verbum enim pro-
pter hæc duo præcipue ponitur in intellectu
creato, scilicet ut objectum reddat intelligibile
in actu secundo, & ut sistat illud intra intellectu,
& reddat intimè præsens, per modum termini
intrinseci ipsius intellectionis: At hoc habet di-
vina essentia ex se, & independenter ab omni
forma creatæ; est enim sua intelligibilitas & ac-
tus purus, tam in ordine intelligibili, quam en-
titativo; est etiam intimè præsens, & unita in-
tellectui beatorum, non solum per modum prin-
cipii, sed etiam per modum termini actualis in-
tellectionis: Ergo ex se potest subire rationem
verbi, seu speciei expressæ.

38 **C**onfirmatur, & magis explicatur hæc ratio:
Verbum ponitur, ut terminet actualem intel-
lectionem. Sed essentia divina ratione sui, est om-
nino proportionata intellectui beati, ut termi-
net actualem ejus cognitionem: quia in ratione
objecti tam motivi, quam terminativi, habet o-
mnem rationem formalem intelligibilitatis. Po-
tentia autem beati supponitur sufficienter pro-

A portionata per lumen gloriæ, eam elevans, &
confortans: Ergo superfluit verbum creatum in
visione beatifica, subindeque non datur in illa.

39 **C**onfirmatur ampliùs: Videmus animam no-
stram, quia est in infimo gradu immaterialitatis
rerum spiritualium, pro hoc statu non habere
rationem speciei impressæ, nec expressæ, in co-
gnitione sui; Angelum verò, quia illam excedit
in immaterialitate, habere in sui cognitione ra-
tionem speciei impressæ, non tamen expressæ:
Ergò cum Deus sit in supremo gradu immateria-
litàtis & actus purus in ordine intelligibili, po-
terit gerere vices utriusq; speciei, & esse sua in-
telligibilitas, nò solum in actu primo, & per mo-
dum objecti motivi, sed etiam in actu secundo, &
per modum objecti terminativi. Quapropter ver-
bum in divinis non producitur ex indigentia
objecti, sed ex fecunditate producentis; quia
intellectus Patris est prolificus, & infinite fe-
cundus.

40 **D**ico secundò: Repugnat dari verbum crea-
tum in visione beata.

Fundamentum hujus conclusionis non est aliud,
quàm illud quod articulo precedenti politi-
tum est, pro speciei impressæ neganda; siquidem
illud ipsum quod representat speciei impressæ
in actu primo, & ut objectum intelligibile, re-
presentat expressæ in actu secundo, ut objectum
intellectionis, & per modum termini in quem in-
tellectio fertur; unde speciei expressæ est perfe-
ctior & actualior similitudo objecti, quàm im-
pressæ; & ita si implicet dari speciem impressam
essentia divina ut est in se representativam, eò
quòd nulla forma creata possit esse ejusdem im-
materialitatis cum illa, nec ejus similitudo for-
malis, ut articulo precedenti declaravimus, a
fortiori repugnabit dari speciem expressam,
quidditative Deum representantem.

41 **P**raterea, Deus, cum sit actus purus in ordine
intelligibili, est sua intelligibilitas, non solum in
actu primo, & per modum objecti motivi, sed et-
iam in actu secundo, & per modum objecti ter-
minativi: Ergo sicut essentia divina non potest
fieri proximè intelligibilis ab intellectu creato,
per aliquam speciei impressam creatam; ita nec
actu intellecta, per verbum à beatis expressum,
& ab illis productum.

42 **C**onfirmatur: Deus ex se & ex sua essentia,
non minùs est intelligibilis in actu, quàm intell-
gens, nec minùs est actus purus in ratione intel-
ligibilis, quàm in ratione intelligentis: Ergo fi-
cut implicat illum constitui in ratione intelli-
gentis in actu per formam intrinsecam, quale
est intelligere creatum; ita repugnat illum con-
stitui in ratione intelligibilis vel intellecti in ac-
tu, per speciem expressam creatam.

43 **A**ddo, quòd speciei illa ab intellectu beato-
rum expressa, esset infinita in representando, ut
pote essentiam divinam, ejusq; attributa, & cre-
aturas possibles representans, ut supra diceba-
mus de speciei impressæ creatæ, & consequenter
esset infinitè perfectionis & immaterialitatis
quòd omni formæ creatæ & creabili repugnat,
ut ibidem ostendimus.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

44 **O**bjicies primò: Verbum est similitudo ob-
jecti ab intellectu producta & expressa:
Sed

Sed in visione beata datur hæc similitudo: Ergo A & verbum, seu species expressa. Major constat ex Philosophia: Minor verò probatur ex Scriptura, & SS. Patribus. Dicitur enim 1. Joan. 3. *Cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Item Augustinus 9. de Trinit. dicit, *Cum Deum novimus, fit aliqua similitudo Dei in nobis.* Et libro 14. cap. 17. loquens de visione beata, ait: *In hac imagine tunc perfecta erit similitudo, quando Dei perfecta erit visio.* Item lib. 15. cap. 16. *Quando, inquit, videbimus eum sicuti est, tunc verbum nostrum non erit falsum.* Ergo sentit Augustinus, produci verbum in visione beata.

Idem colligitur ex D. Thoma infra quæst. 27 art. 1. ubi dicit: *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ.* Ubi S. Doctor loquitur universaliter de omni intellectu; etiam beatifica; alias non rectè inde colligeret contra Arrianos & Sabellianos, dari Verbum in Deo: quod tamen ibidem probare intendit; diceret enim Arrianus, vel Sabellianus, quod si in nobis, solum quando imperfectè, & in via cognoscimus, producit verbum, non verò in cognitione perfectissima, qualis est visio beata, in Deo qui est infinitæ perfectionis in intelligendo, nulla debet poni processio verbi ad intra. Unde idem D. Thomas de verit. quæst. 4. art. 2. dicit, *Verbum est aliquid realiter procedens ab altero.* Et addit, *Quod universaliter verum est, de omni quod a nobis intelligitur, sive per essentiam videatur, sive per similitudinem.* Ergo ex D. Thoma, etiam in visione beata, in qua Deus videtur per essentiam, formatur verbum.

Respondeo negando majorem, ad cuius primam probationem ex Scriptura desumptam, dicendum cum D. Thoma hic articulo 2. ad 1. quod *authoritas illa loquitur de similitudine que est per participationem luminis gloriæ: per illud enim intellectus beati quodammodo assimilatur Deo, & fit veluti deiformis, quatenus participat divinam intellectualitatem, & habet essentiam divinam pro objecto aliquo modo sibi connaturali, sicut ipse Deus.* Vel secundò dici potest D *cum eodem S. Doctore 3. cont. Gent. cap. 5. 1. quod per visionem beatam maximè Deo assimilatur, quatenus eadem felicitate fruimur, qua Deus felix est, videndo eum immediatè per suam essentiam gerentem vices speciei, sicut ipse Deus per suam essentiam seipsum intelligit.*

Ad primum locum Augustini respondet etiam D. Thomas hic art. 2. ad 2. quod *Augustinus ibi loquitur de cognitione qua habetur in via.* In secundò vero non loquitur de imagine, quæ fit verbum formatum à nobis per intellectum, sed de imagine naturali, nempe anima nostra, quæ dicitur facta ad imaginem Dei, quam dicit perficiendam per visionem beatificam.

Alius vero locus in quo dicit, quod tunc verbum nostrum non erit falsum, non est intelligendus de verbo creato, & à nobis formato; sed de verbo increato, seu de essentia divina gerente vices verbi creati; illa enim tunc dicitur verbum nostrum, quia intellectui nostro erit intimè unita, per modum verbi, & objecti complementis, & actu terminantis ejus cognitionem.

Ad D. Thomam, prætermittè eorum solutione, qui existimant S. Doctorem ibi solum dare quandam congruentiam, desumptam ex his quæ nobis communiter accidunt, ad probandum da-

ri in Deo processionem Verbi: responderetur, quod hæc propositio, *Quicumque intelligit, ex hoc quod intelligit, producit verbum,* intelligenda est secundam distributionem accommodam, & pro generibus singulorum, non pro singulis generum. Quasi dicat, quod in quocunque genere intelligente, sive in quacunque natura creata intelligente, sive humana, sive angelica, datur processio verbi: Est non detur in omni individuo, sive in quacunque intellectione. Ex quo rectè infert, quod cum Deus sit etiam naturæ intelligentis, & in supremo intellectualitatis gradu, debet etiam intra ipsum dari processio Verbi.

Ad alium locum ex quæst. 4. de verit. dicen- 47 dum, in omni quod à nobis intelligitur, sive per similitudinem, sive per essentiam, formari verbum, quando essentia non est actus purus, nec suum esse in genere intelligibili: ut patet in anima separata, & in Angelis, qui licet cognoscant se per suam propriam substantiam gerentem vices speciei impressæ, tamen formant verbum de se; unde cum Deus sit actus purus, & suum esse, tam in genere intelligibili, quam entitativo, nec format verbum in cognitione essentiali sui, nec à Beatis videtur mediante verbo ab illis expresso & producto, sed immediatè per suam essentiam, atque speciei, tam impressæ quam expressæ, vices gerentem, ut exponemus articulo sequenti.

Objicies secundò cum Ildephonso Michaële supra citato: Divus Gregorius libro trigésimo Moralium capite quinto circa illud Job: *Et concentum cæli quis dormire faciet?* hæc scribit: *Postquam per mortem in pulverem carnis resolvitur, & per resurrectionem pulvis animatur; tunc de Deo audire verba non querimus, quia unum ipsum quod implet omnia iam per speciem Dei verbum videmus: quod tantò altius sonat, quanto & mentes nostras in intima illustratione penetrat, sublatis namque Orientibus, & Occidentibus verbis, quasi quidam sonus æterna prædicationis, fit ipsa imago internæ visionis.* Quibus ultimis verbis asserit, visionem beatificam esse imaginem, subindeque speciem expressam creatam Deum representantem.

Verum hæc objectioni solutio patet ex supra dictis; nam eodem sensu visio beatifica appellatur à D. Gregorio Dei imago, quo à D. Joanne supra citato ejus similitudo dicitur: quia nimirum per illam intellectus noster perfectissimè Deo assimilatur, quatenus per illam essentia divina in ratione speciei expressæ ipsi intimè conjungitur, subindeque eadem felicitate quæ Deus perficitur. Præterquam quod per ipsam visionem beatificam, quæ est ultima gratiæ sanctificantis perfectio & consummatio, imago Dei, quæ in nobis inchoatur per gratiam, ultimo consummatur & perficitur. Unde S. Thomas supra relatus ait, quod per hanc visionem maximè Deo assimilatur.

Objicies tertio: Visio beata est actio: Sed non datur actio sine termino à se distincto & producto, cum actio sit fieri ipsius termini, seu via & tendentia ad illum: Ergo in visione beata debet dari aliquis terminus productus, qui non potest esse alius, quàm verbum, seu species expressa.

Respondent aliqui, per visionem beatam produci modum quemdam unionis, quod essentia divina unitur in actu secundo cum intellectu beato: sicut

scit in generatione humana producitur modus unionis, quò anima rationalis unitur corpori, & sicut in unione hypostatica datur aliquis modus unionis inter Verbum & humanitatem. Sed hæc responsio displicet, tum quia valde incertum est an inter materiam & formam, Verbum & humanitatem detur aliquis modus unionis; tum etiam quia realis unio essentia divina cum intellectu creato à nulla creatura, sed à solo Deo potest fieri, cum extremum illud quod est essentia divina, in infinitum excedat omnem actionem creaturæ, ut ex vi illius possit reddi unita ipsi: ut patet in unione humanitatis à Verbo, & intellectus ad essentiam divinam in ratione speciei impressa.

49. Melius ergo responderetur, distinguendo Majorem. Visio beata est actio transiens, & de prædicamento actionis, nego. Immanens, & de prædicamento qualitatis, concedo. Similiter distinguo Minorem: Non datur actio sine termino: actio transiens, & de prædicamento actionis, concedo. Actio immanens, & de prædicamento qualitatis, nego.

50. Explicatur: Actus immanentes, ut docent Philosophi, licet virtualiter & eminenter habeant rationem actionis, quatenus sunt actus secundi potentia operativæ, formaliter tamen non sunt actiones, sed qualitates; nec consistunt in via & tendentia ad terminum, sicut actiones transeuntes, sed sunt actus perfecti & completi, ac proinde non debent necessario producere aliquem terminum. Ut enim docet D. Thomas 1. cont. Gent. cap. 100. Operatio immanens ab actione transeunte distinguitur, quòd per illam non fit aliud præter ipsam operationem (intellige per se & essentialiter) sicut constat in videre vel audire; & ita comparatur ad operantes, sicut finis non sicut via ad aliquid operatum & factum. Unde juxta doctrinam D. Thomæ, intellectio non petit per se & essentialiter terminum productum ad quem ordinetur tanquam ejus causalitas, & via; sed solum petit terminum productum, ut vitaliter uniat objectum potentia intelligenti, & illud ponat intra intellectum, per modum termini intrinseci ipsius intellectiois: quare si objectum de se habeat sufficientem actualitatem ad terminandam intellectionem, & sit secundum se intime præsens, & unitum ipsi potentia; ut contingit in essentia divina respectu intellectus beati, sicut antea exposuimus, nullum per illam verbum producitur, saltem ex indigentia (ut constat in intellectione essentiali, quæ Filius & Spiritus sanctus intelligunt) licet possit produci ex fecunditate, ut fides docet de intellectione notionali Patris.

51. Dices: Si intellectio non sit essentialiter actio productiva verbi, sed qualitas producta, sive in facto esse, necessario debet supponere aliquam actionem, & aliquid fieri, per quod producat: Sed hoc non potest dici, alias daretur actio ad actionem, quod est absurdum: Ergo, &c.

52. Respondeo negando sequelam, quamvis enim intellectio & aliæ actiones immanentes sint qualitates, non verò actiones prædicamentales; quia tamen sunt actus secundi, & virtualiter seu eminenter habent rationem actionis, non indigent aliâ actione quâ producantur, sed emanant ab operante, sine aliâ causalitate distincta à se. Sicut ipsa actio transiens, quia est formaliter actus secundus agentis, non per aliam actionem, seu causalitatem; sed per se ipsam immediate ab illo

emanat. De quo videri potest Joannes à S. Thoma in libris de anima quæst. 1. art. 1. ubi hanc difficultatem luculenter exponit.

Objicies quartò: Si nullum daretur verbum creatum in visione beata, maximè quia essentia divina de se non solum est intelligibilis, sed etiam intellecta; utpote actus purus in ordine intelligibili, & intime præsens intellectui beatorum, ac proinde per nihil creatum potest fieri actus intellecta, nec intellectui magis præsens: Sed hæc ratio supponit falsum, nempe quòd de ratione essentia divina sit esse actu intellectam; & quamvis hoc esset verum, illa tamen non probaret intentum: Ergo ruit præcipuum fundamentum nostræ sententiæ. Major patet ex supra dictis; Minor verò probatur quantum ad singulas partes. Et in primis quòd hæc ratio falsum supponat videtur manifestum, quia essentia divina ab æterno non est actu cognita, talis ab intellectu creato: Ergo non est de ratione illius esse intellectam in actu, sed solum intelligibilem ab intellectu creato. Ex quo probata manet secunda pars: quia ad rationem verbi, seu speciei expressæ, requiritur quòd objectum sit actu intellectum ab ipso: met intellectu cuius est verbum: Ergo si de ratione essentia divina non sit esse actu intellecta ab intellectu creato, illa non potest supplere vires verbi in intellectione creata, nec consequenter in visione beatifica. Quòd etiam ex intima præsentia & unione divina essentia cum intellectu creato non possit deduci impossibilitas verbi creati in visione beatifica, sic ostenditur. Angeli substantia est intime præsens ejus intellectui, & tamen Angelus format verbum in cognitione sui, ut docet S. Th. 4. cont. Gent. c. 11. Ergo similiter licet essentia Dei sit intime præsens intellectui beatorum, hoc tamen non obstat, quò minus de ea possit formari verbum à beatis.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem, quantum ad omnes partes; ad probationem primæ dicendum, quòd sicut objectum potest dici intelligibile duobus modis; vel per denominationem extrinsecam, ex vi activa intellectus potentis illud cognoscere; vel per denominationem & vim intrinsecam, quæ tantam habet immaterialitatem & actualitatem, ut se ipso possit intelligi & supplere rationem speciei impressæ: ita etiam potest dici actu intellectum duobus modis: nimirum vel per denominationem extrinsecam, peritam ab actu potentia illud cognoscentis; vel per denominationem intrinsecam, ratione immaterialitatis & actualitatis, sufficientis immediate per se ipsum terminare actualem intellectionem. Licet ergo, esse actu intellectum primo modo, non sit de ratione, & conceptu quidditativo essentia divina, sed aliqua denominatio extrinseca illi adveniens in tempore, ex actu potentia intellectiva creata illum cognoscentis: esse tamen intellectum in actu, secundo modo est de essentia Dei; eo quòd essentia divina sit infinite immaterialis & actus purus, ac ultima actualitas in ordine intelligibili & representabili. Unde sicut implicat, quòd forma quæ ex se est ultimus actus alicujus subjecti, vel potentia, uniatur illi mediante aliqua aliâ formâ, v. g. quòd actus producat per aliâ actionem, quòd existentia existat per aliâ existentiam; ita repugnat essentiam divinam fieri actu intelligibilem vel intellectam, per aliquam formam vel speciem à se distinctam: Ex quo patet responsio ad secundam probationem, ut e-

enim divina essentia suppleat vices verbi creati in visione beatifica, sufficit quod ex se, & ex sua natura sit non solum intelligibilis, sed etiam intellecta hoc secundo modo; id est ex se habeat sufficientem actualitatem ad terminandam intellectionem creatam, & visionem beatificam, posito quod illa detur, & quod intellectus creatus per lumen gloriae ad eam eleuetur. Sicut ut persona divina possit ab aeterno supplere vices substantiae creatae, solum requiritur quod habeat inhinitam actualitatem in terminando, ratione cuius possit terminare quamcunque naturam creatam, carentem propria substantia, supposito quod illa producat, & ei jungatur.

Ad tertiam probationem Minoris principalis, concesso Antecedente, neganda est Consequentia & paritas, Ratio disparitatis est, quia licet substantia Angeli sit praesens eius intellectui in actu primo, non solum praesentia physica, sed etiam intentionalis; non tamen est praesens intentionaliter in actu secundo: Deus autem est praesens intentionaliter & in esse intelligibili intellectui beatorum, non solum in actu primo, & per modum objecti motivi; sed etiam in actu secundo, & per modum objecti terminativi: unde licet substantia Angeli non possit gerere vices speciei expressae in cognitione sui, bene tamen essentia divina in intellectu beati.

55 Dices, ideo Deus est praesens in actu secundo intentionaliter, & per modum objecti terminativi intellectui beatorum, quia est immaterialis: Sed Angelus etiam est immaterialis: Ergo eius substantia est etiam praesens intentionaliter in actu secundo, proprio intellectui, & sic ratio disparitatis non tenet.

Respondeo negando Majorem, nam essentia divina habet rationem objecti motivi, & terminativi in sui cognitione, & in visione beatifica, quae est aliqua divinae cognitionis participatio, non praecise ex eo quod sit immaterialis, sed ex eo quod sit actus purus, tam in ordine entitativo quam intelligibili; siue quia est in supremo gradu immaterialitatis & actualitatis, ut antea declaravimus: unde exclusio materiae cum inclusione potentialitatis, competens Angelo, solum infert quod possit habere rationem speciei impressae, & objecti motivi in cognitione sui; non tamen rationem speciei expressae, & termini infuncti suae intellectionis: ad hoc enim necessarium esset, ut substantia Angeli esset suum esse, & suum intelligere; quod soli Deo competit, cum ipse solus sit actus purus, tam in ordine entitativo, quam intelligibili.

56 Obicies quintò: Amor beatificus producit terminum, qui dicitur impulsus; et ad summum bonum clare visum terminetur: Ergo etiam visio beatifica, quam vis terminetur ad essentiam divinam clare cognitam, producat verbum, seu speciem expressam, illam representantem.

Respondeo concesso Antecedente, negando Consequentiam & paritatem, propter duplicem rationem discriminis. Prima est, quia impulsus qui est voluntatis terminus, non est ultima actualitas objecti amati, sed ponitur ut voluntatem compleat & perfectè in objectum inclinet; & ideo quantumcunque perfectum sit objectum amatum, adhuc impulsus voluntatis admittitur: verbum autem ponitur ut ultima actualitas objecti intellecti, unde quando seipso objectum est in ultima actualitate, verbum non producit. Secunda ratio disparitatis est, quia impulsus non

petit esse ejusdem naturae cum objecto dilecto, quia voluntas assimilativa non est, & ideo non repugnat impulsus productus erga summum bonum; verbum autem id postulat, & ideo in visione beatifica nullum verbum creatum dari potest.

Obicies ultimò: Quando D. Paulus vidit in raptu essentiam Dei, postea recordatus est multorum quae in illo raptu viderat: unde ipsemet dicit, quod *audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.* 2. ad Corint. 12. Ergo in tali visione transeunte formavit aliquod verbum divinam essentiam representans. Consequentia videtur manifesta, ea enim quorum recordamur, habent aliquam sui speciem in memoria relictam, & per cognitionem qua primò cognita fuerunt, productam & expressam: Ergo si D. Paulus recordabatur eorum quae viderat in raptu, tunc formavit aliquod verbum, seu aliquam speciem expressam, essentiam Dei, ejusque attributa representantem.

Respondet D. Thomas hic art. 9. ad 2. his verbis. *Ad secundum dicendum, quod aliqua potentia cognoscitiva sunt, quae ex speciebus primò conceptis alias formare possunt: sicut imaginatio ex praconceptis speciebus montis & auri, format speciem montis auri, & intellectus ex praconceptis speciebus generis & differentiae format rationem speciei; & similiter ex similitudine imaginis, formare possumus in nobis similitudinem ejus cuius est imago. Et sic Paulus vel quicumque alius videns Deum, ex ipsa visione essentiae divinae potest formare in se similitudines rerum, quae in essentia divina videntur: quae remanserunt in Paulo, etiam postquam desit Dei essentiam videre. Ista tamen visio, quae videntur res per huiusmodi species sic conceptas, est alia à visione, quae videntur res in Deo. Quibus verbis clarè docet id quod mansit in memoria Pauli, post raptum in quo vidit divinam essentiam, non fuisse aliquam imaginem Dei in se (alias semper vidisset Deum, & illum habuisset praesentem in memoria, ratione talis speciei) sed fuisse representationem ipsius visionis, & aliorum rerum, quas in Deo vidit, quarum representationes formavit in proprio genere, & extra visionem beatificam. Sicut modo etiam beati tales representationes extra verbum formant, ut possint per locutionem spiritualem, cum aliis communicare de his quae in Deo videntur, ut dicemus in materia de locutione Angelorum.*

ARTICULUS III.

An essentia divina uniatur intellectibus beatorum per modum speciei impressae, & expressae?

Partem negativam tenent non solum Aureo- plus & Aegidius à Praesentatione, qui speciem creatam in visione beatifica admittunt, sed etiam Vasquez & Suarez, qui eam cum Thomistis negant; diverso tamen ducuntur fundamento. Vasquez enim hic disp. 43. cap. 3. docet, in visione beatifica nullum requiri concursum specialem objecti in ratione speciei, & ideo essentiam divinam ad illam solum concurrere per modum causae universalis, & eò tantum modo, quod ad alias cognitiones & actiones creatas concurrat. Suarez verò tomo 1. Summae Theol. lib. 2. cap. 12. admittit quidem, essentiam divinam habere